



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 439. An & quando amittatur feudum ob non petitam debito tempore investituram, & qualiter renunciasse caducitati censeatur dominus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

*Quæst. 439. An & qualiter amittatur feudum ob non petitam debito tempore investituram, & qualiter caducitati renunciassè censetur dominus?*

1. **R**esp. ad primum: Præter plura de hoc dicta supra, hic breviter dicendum non amitti propterea feudum, nisi dolus vel culpa vassalli interveniat. Arg. l. 2. tit. 52. §. fin. qui dolus abfuisse videtur, si iusta causa & rationale impedimentum non petendi interveniret. V. g. si in loco, ubi dominus morabatur, pestis grassabatur, si ignorabat esse rem feudalem, aut dominum directum, vel etiam antecessorem in feudo esse mortuum &c. Ac proinde ad privationem feudi ob non petitam investituram requiritur probatio scientiæ & contemptus, quòd videlicet malitiosè & fraudulenter non sit omissa petitio investituræ. Gail. l. 2. obs. 48. n. 9.

2. Resp. ad secundum: Caducitatem hanc actu inducta Dominus censetur remississe, si sciens eum cecidisse feudo, recipiebat adhuc consueta servitia (nisi in receptione servitii fuerit protestatus, se ea recipere salvo jure caducitatis) secus, si id ignorabat. Clar. q. 63. Gratus conf. 2. n. 75. l. 1. Idem videtur, dum post caducitatem ob non solum canonem (si quis impositus feudo) recepit canonem, exemplo emphyteuseos; cum, quia caducitas illa non nisi in favorem domini inducta sit, non nisi eodem volente intrat. Ac proinde etiam, ubi caducitas feudi statuta purè in favorem domini, puta, ob ingratitudinem vassalli erga dominum, ob non petitam dolosè tempore debito investituram aliamvè causam, ob quam ab eo privari poterat feudo, actu incurfa non censetur ante declarationem domini volentis incurfam. Unde etiam, si dominus eam non declaravit, ejus successor nequit eam declarare. Paris. de resign. benef. p. 3. q. 3. num. 12.

*Quæst. 440. An ob contractum matrimonium aut etiam ob perpersionem censurarum amittantur feuda?*

**R**esp. ad primum: Ob contractum matrimonium amitti feuda Ecclesiastica, nisi ex tolerantia Ecclesiæ consuetudo obtinisset contrarium, ait Lotter. de re benef. l. 3. q. 26. n. 65. pro quo citat Jo-And. ad c. fin. de Cler. conjugat. sed si hæc feuda conferti possunt etiam laicis non obstante eorum statu matrimoniali; non videtur esse ratio, cur ea habita à Clericis (intellige non constitutis in sacris Ordinibus) post susceptum licitè ab iis matrimonium amittantur ab iis.

Resp. ad secundum: Ex perpersione censurarum per annum inferri ad contemptum & privationem feudorum, habetur c. ult. de penis, quod ad summum intelligi credo de feudis Ecclesiasticis.

*Quæst. 441. An jus privandi vassallum transeat ad hæredes domini & contra hæredes vassalli?*

1. **R**esp. ad primum: Si dominus decessisset ante caducitatem à se declaratam, & antequam querelasset contra vassallum delinquentem in casu, in quo poterat illum privare feudo, jus privandi illum non transit ad hæredes domini Gl. in c. 1. §. 1. quib. mod. amitt. feud. v. concubnerit. Clar. §. feudum. q. 64. num. 1. citatis Ripa in l. fin. C. R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III,

de revocat. donat. n. 237. & Curtio Jun. qui dicunt communem & receptam. Ubi tamen caducitatem non declarasset, aut querelam non proposuisset, quia culpam vassalli non sciebat, utique jus privandi vassallum transit ad ejus hæredes, ut Clar. cum Belvis. De cætero procedit responsio, etiamsi culpa fuisset talis, pro qua vassallus ipso jure privatus fuisset feudo; eò quòd, dum sciens non querelavit, videatur remississe injuriam; adeoque sive ipso jure, sive per sententiam venisset privandus vassallus, noluerit transire ad hæredes. Clar. loc. cit. num. 2. cum Molinæ in consuetud. feud. Paris. §. 10. num. 127.

2. Resp. ad secundum: Si vassallus decessisset, antequam dominus declarasset caducitatem; & instituisset contra eum querelam, non posse eum instituere illam contra hæredes vassalli, & eos privare feudo, nisi delictum esset tale, ob quòd vassallus privatur feudo ipso jure, vel ex dispositione legis, vel ex forma conventi in investitura, tradunt cum Baldo in c. imperialem. §. insuper. n. 7. de prohib. feud. alien. per Frideric. communis plerique, quibus se ad hæresum dicit Clar. q. 65. si delictum esset adeò notorium & inexcusabile, ut nullo modo negari posset aut defendi: secus verò, si egeret probatione aliqua, vel colore aliquo excusari posset, eò quòd in hoc casu feudum revocari ab hærede, qui non deliquit, ob delictum non notorium & non inexcusabile mortui, qui se defendere nequit, iniquum sit; ita probabiliter ille.

*Quæst. 442. An quis possit sine causa feudo privari?*

**R**esp. Negativè cum Cravet. de antiquit. temp. p. 1. sect. 1. num. 17. & Claro quæst. 69. dicentibus communem DD. eò quòd, cum vassallus sit dominus utilis feudi, Princeps, etiam Imperator, id ei sine causa auferre non potest; idque tantò magis, quòd feudum sit contractus ultro citroque obligans; & juxta communes regulas Princeps ex contractu obligetur sicut privatus; nisi in concessione constitutum ad nutum revocabile, in quo casu non esset propriè feudum.

*Quæst. 443. Finito feudo seu illo privato vassallo cui aperiatur, an domino directo, an agnatis?*

1. **R**esp. primò: Dum morte vassalli finitur feudum concessum. V. g. ad quartam generationem, quia in eo deficit linea, dum is est ultimus, aperiari feudum domino est extra controversiam, ut Clarus quæst. 66. quamvis filios vel proximiores agnatos vassalli ultimò defuncti in hoc casu petere posse concedi sibi de novo feudum, & si id non concedatur, fieri illis injuriam, ac propterea eos appellare posse ad superiorem, ut is dominum directum ad hoc cogat, tradit Bart. in l. 1. §. permittitur. ff. de aqua quotid. §. ast. & hanc ejus doctrinam communem esse dicant Clarus quæst. 87. & quos citat, Ruin. conf. 12. à num. 18. l. 1. & Curt. Jun. de feudis in 2. part. princ. in 1. part. quæst. 15. dicit tamen Clar. se nunquam vidisse id in feudis (secus in emphyteusi) in practica servari, & fortè durum esse id impetrare. De cætero in casu, ubi ob delictum vassalli rediit ad Ecclesiam, potest Prælatum feudum apertum denuo conferre, non tantum extraneo, sed